



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Deus quibus mediis quærendus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

intuetur; sed, respondens interrogantibus breviter, ab ipsis se avertit, & sequitur. Joan. 20. 14. S. Thom. Aqu. opusc. 16. de decem grad. amor. 2. gradu, in quo facit querere incessanter. Dulcissimus, & suavissimus somnus est, Christum querere. Id. hic.

*Surgam, & circumibo civitatem.* Cant. 3. 2. Ad hæc statim sponsus: *ne suscitetur, neque evigilare facietis dilectam.* v. 3. S. Thom. Aqu. si requirebat sponsum, quomodo quiescebat? quia dulcissimus &c.

*Ubi est, qui natus est.* Matth. 2. 1. Video Magos Ierosolymis, audiente tyranno, recens natum Judæorum regem impune prædicare. Cur tanquam authores rebellionis, non puniuntur? cur vel illis silentium non præcipitur? Quia confitentes Deum querebant. Osi nobis hæc esset cura, ut in omnibus Deum quaramus! quâ securitate, quò triumphò, per media mala incederemus Bæza. t. 1. l. 2. c. 8. §. 1.

*Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire.* Matth. 14. 28. Non ait Petrus, veni ad me, ut voluit Mundani, quod Deus eos quærat; sed ait, *jube me ad te venire.* Sylveira hic.

Primum est scientiæ studium, querere Deum; deinde honestatem vitæ cum innocentia opere. S. Isidorus l. 2. c. 1.

Quid cunctamur? relicta spe sæculi, conferre nos totos ad querendum Deum, & vitam beatam? S. August. Conf. l. 6. c. 11.

Ideo te ineffabili pietate quæsit, ut tu illum disceres, & desiderares, inquirere. S. Eucherius l. 6.

## §. III.

*Deus absconditus dulcius invenitur. Ubi? In qua specie, querendus?*

*Quæsitum illum, & non inveni.* Cant. 3. 2. 3. Abscondit se sponsus, cum quæritur; ut non inventus ardentius quærat. Et differtur quærens sponsa, ne inveniatur: ut tarditate suâ capax reddita, multiplicius quandoque inveniatur, quod quærebat. S. Gregor. mor. l. 5. c. 4.

*Signoras te, o pulcherrima &c.* Cant. 1. 7. Ideo quæris me absentem, & dicis, *ubi pastus &c.* id est, quia ignoras te: nam, si te cognosceres, quæres me in te ipsa. Notandum est, quod nominat Ecclesiam pulcherrimam: quia Deus querendus est in anima, ut anima est imago ejus. S. Thom. Aqu. hic. Circuire possum, Domine, cælum, & terram; nec te possum invenire, nisi in cruce. Ibi pastus, ibi cubas in meridie. Et hoc est, quod Propheta dicebat. Pl. 131. 7. *Adorabim⁹ in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Sed ubi steterunt pedes illi beati, nisi in cruce confixi. S. Bonaventura l. 27. in Epiph.

*In lectulo meo per noctem quæsit.* &c. Cant. 3. 1. Anima, quæ Deum quærit, & ad Dei dilectionem, & cognitionem, plenius pertingere cupit; in lectulo hunc querere debet, id est, quiete mentis. Vacare enim debet, & quiescere ab occupatione, & inquietatione rerum terrenarum. *Per noctem &c.* id est, per adversa temptationum, & laborum; & in pugna virtutum, & vitiatorum. Richardus à S. Vict. in Cant. 2. Elapsus erat dilectus super montes, quasi hinnulus vagus, & volitans: Scipsa ad se relapsa de montibus,

illis, in quibus mirabiliter illuminata erat, & illustrata visione dilectio. De montibus illis, ad convallem lacrymarum, ad lectulum doloris relapsa, & ad noctem de montibus luminosis. Quid nisi recedat ipsa, ubi sic recedit dilectus suus? Ipse enim sponsus suæ salutis, & illuminatio: ideo, recedente ipso, illa recedit ad lectulum infirmitatis, & ignorantia noctem. Gilbertus l. 1. in Cant. In circuitu ambulat; sed intus ambulat per vicus, & plateas civitatis. Sapientia enim in his viis se ostendit hilariter; & in plateis dat vocem suam. Id. l. 4. in Cant. Quid est in lectulo Deum querere, nisi eum velle cum vita suavi invenire. Non invenitur Deus in quiete mundana; sed in aspera poenitentia. S. Bonaventura l. 30. Dom. infra Ost. Epiph.

Jesum quæritis &c. Marci 16. 6. Bene quæritis eum, quia quæritis Nazarenum, & crucifixum. Multi enim quærit Jesum tantum Nazarenum, id est, salutem floridam: volunt enim hic gaudere cum Mundo, & in futuro regnare cum Christo. Sed non invenitur Nazarenus sine crucifixio. *Per multas tribulationes &c.* Act. 14. Hugo Card. hic.

*Accipit eum in ulnas suas.* Luc. 2. 28. Si quis egreditur Mundo, si quis è carcere, vincitorum domo, dimittitur; ut ad regnandum vadat: sumat Jesum in manibus suis, & circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu: & tunc exultans ire poterit, quod desiderat. Origenes hom. 15. hic. *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Luc. 24. 5. Querendæ enim res sunt suis locis. Christus ibi non erat, ubi eum scemina quærebant. Quærebant inter mortuos; erat inter vivos, quærebant in domo mortis; erat in domo vitæ: quærebant in sepulchro jacentem: cum quære debent in domo gloriæ triumphantem. Sic tu quære divitias, gloriam, gaudia: hic in Mundo non sunt. Barradius. t. 4. l. 8. c. 6.

*Tulerunt Dominum meum.* Joan. 20. 13. Non potuit amor tantus, Christo etiam moriente, mori. Fugientibus, & latentibus, viris, hoc est, Apostolis, mulier imperterrita, *stabat ad monumentum plorans.* Non habebat vivum; & tota super mortuum ardebat. - quò plus de oculis, & manibus, auferetur, eò ardentius animus insequetur. Drogo Ost. l. de Sacr. Pass.

Inter corpora Deus querendus non est: ad querendum Deum ultra omne corpus eundem est. S. Bonaventura l. 18. de S. Joanne.

## §. IV.

*Deus quibus mediis querendus.*

*In lectulo meo per noctem quæsit.* Cant. 3. 1. Non pedum passibus, sed desiderii, quæritur Deus. S. Bernardus l. 84. in Cant.

*Ego vado, & quæretis me.* Joan. 8. 21. Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per poenitentiam non quærit. *Querite Dominum, dum inveniri potest.* Qui misericordem Deum, dum tempus habet, non quærit, inveniet eum iratum. V. Beda hic.

*Quem quæritis? - egosum.* Joan. 18. 8. Veni, ait, desiderator bone; veni, & vide. Ego sum Jesus, quem quæris. Si ergo me quæris, sine omnia aliò abire. Thomas Kemp. Conc. 10. de Incarnat.

TI-